

& punctum lune natiuitatis sue & quo currente anno predixerit. tunc diuinator inspecta constellatione & inuento planeta in quo natus fuerit. omnia que sibi euentura erunt in itinere illo & qualiter in omnibus eius agendis siue bene siue male suum prosequetur propositum per ordinem sibi predicet silicet si mercator 21v° erit. planeta qui tunc regnabit erit sue mercationi contrarius. ita quod expectabit donec regnabit alius sibi prosper aut signum portam respiciens directe per oppositum. per quam est ciuitatem egressurus/ erit contrarium suo signo ita quod per aliam portam ipsum egredi oportebit aut prestolari donec mutabitur illud signum. item quod in tali loco uel termino inueniet latrones in tali superueniet sibi pluuia uel tempestas in tali frangetur equus gambam in tali perdet de mercimonijs uel lucrabitur & sic de singulis predicet tam de prosperis quam aduersis secundum signa sibi prospera uel contraria in recessum./

Homines itaque prouincie cathay pre alijs gentibus inuenit moribus pulcioribus & pluribus doctrinatos quoniam in eorum studio semper intendunt & scientie disciplina. set morem unum abhorendum inuenit quem totaliter interdixit. pulcre quidem & ordinate locuntur honeste salutant/ uultu alacri & iocundo. nobiliter & nitide se habent in esu & sic de singulis ydolatri sunt omnes set in reuerendo suis dijs retinent istum modum conscientiam uero & curam anime non habent set solummodo ad alendum corpus & sibi solatia capienda intendunt. putant equidem ut statim cum homo decesserit aliud corpus intret. & secundum quod se in uita bene uel male gesserat de bono in melius aut de malo in deterius procedendo uidelicet si filius militis existat & uiuens se bene gexerit mortuus de uentre renascitur|

*ydolatri sunt omnes mor-
endo homo tenent quod
intrat in corpore bestie
&ct/*

comitisse post modum|

22r° comitise post modum remortuus de uentre renascitur principisse & sic semper ascendendo. donec assumitur in deum & sic e contra eficitur de rustico in canem semper ad uilia descendendo. habet quilibet in domo sua statuam appensam in pariete camere que deum altum celestem representat uel solummodo ibi nomen dei scriptum. & sic ipsum adorant & leuant quidem manus & dentes simul ter concutientes ipsum rogant ut eis erroget uitam longam alacrem & iocundam habent etiam in terra deorsum aliam statuam que naçagay uocatur deus terrenorum qui se solum habet intromitere de terrenis & rerum nasentium super teram. apud istum deum eius uxor est & filij &ct.

*habent in domo statuam
appensam in pariete ca-
mere que deum altum
celestem representat uel
alium dei spiritum
etiam habent alia[m]
statuam qui est deus
terrenorum.*

Quando uero discedendo a ciuitate predicta scilicet cambalu itum est miliaribus x inuenitur quidam fluuius nomine pulisanghyn qui in oceano mare intrat supra flumen istud est quidam pons lapideus ualde pulcher & raro quod sit in mundo alius ita pulcher longitudo eius est trecentorum passuum. latitudo uero viij ita quod large posent per eum homines unus a latere alterius equitare &ct/